

comme d'abus. Parisiis, Adr. Le Clère, 1845; part. I, cap. v, art. 2.)

ADNOTATIO XXX.

Lib. I, Tit. VI, de Electione et electi potestate, § I, n. 25, pag. 320.

UTRUM NOMINATIO PER PRINCIPEM FACTA UT PRÆFERATUR ÆQUIPOLLEAT ELECTIONI CANONICÆ?

Respondendum negative. Si præfata nominatio nullo modo possit postulatio, uti jam dictum in Adnotatione præcedenti, a fortiori nec electio vocari. Quia, in ordine temporum, systema nominationum a principe factarum, in locum electionum canonicarum, Sede apostolica ita decernente, invectum fuit, graviter erraret qui nominationem electioni æquiperaret. Ut probe intelligantur articuli IV et V concordati, pro Galliis inito anno 1801, oportet in animum revocare illa quæ constituta fuerunt, die 16 aug. 1516, a Leone PP. X, pro Galliarum Ecclesiis.

In capite de Electionis derogatione inscripto legitur: « Et cum ex electionibus quæ in Ecclesiis cathedralibus et metropolitans, ac monasteriis dicti regni a multis annis citra fiebant, grandia animarum pericula provenirent, cum pleræque per abusum sæcularis potestatis, nonnullæ vero præcedentibus illicitis et simoniaciis pactionibus, aliæ particulari amore et sanguinis affectione, et non sine perjurii reatu, fierent... idem Franciscus rex, nostris paternis monitis tanquam verus obedientie filius parere volens, in locum dictæ pragmaticæ sanctionis ac singulorum capitulorum in ea contentorum, leges et constitutiones infra scriptas, invicem tractatas, et cum fratribus nostris S. R. E. cardinalibus diligenter examinatas, et de eorum consilio cum præfato rege concordatas, per dilectum filium Rogerium Barthe, regium advocatum, oratorem suum, ad hoc ab eodem Francisco rege ad nos destinatum, habentem ad hoc speciale et sufficiens mandatum, acceptavit.

In capite sequenti, De regia ad prælaturas nominatione faciendâ: « De eorundem fratrum consilio et unanimi consensu, ex certa nostra scientia et potestatis plenitudine statuimus et ordinamus quod de cætero, perpetuis futuris temporibus, loco dictæ pragmaticæ sanctionis... videlicet ut de cætero cathedralibus et metropolitans ecclesiis in regno dicto, Delphinatu, et comitatu Diensi ac Valentiniensi, nunc et pro tempore, etiam per cessionem in manibus nostris et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice interdictum sponte factam, vacantibus, illarum capitula et canonici ad electionem seu postulationem inibi futuri prælati procedere non possint. Sed, illarum occurrente huiusmodi vacatione, rex Franciæ pro tempore existens unum gravem magistrum seu licentiatum in theologia, aut in utroque seu altero iurium doctorem, aut licentiatum in universitate

famosa et cum rigore examinis, et in XXVII suæ ætatis anno ad minus constitutum et alias idoneum, infra sex menses a die vacationis Ecclesiarum earundem computandos, nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus seu Sedi prædictæ nominare, et de persona per regem huiusmodi nominata per nos et successores nostros seu Sedem prædictam provideri. Et si contigerit præfatum regem personam taliter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, nos et successores seu Sedes huiusmodi de persona sic nominata eisdem Ecclesiis minime providere debeat, sed teneatur idem rex, infra tres alios menses, a die recusationis personæ nominatæ non qualificatæ, sollicitatori nominationem non qualificatam prosequenti consistorialiter factæ, et intimidandæ computandos, alium supra dicto modo qualificatum nominare... » (Rebuffus, Concordata inter Sanctiss. D. N. Papam Leonem ac christianiss. regem Franciscum; sec. edit. 1533.)

Ex his liquet 1º nominationem quæ fit a principe non esse nominationem proprio sensu canonicam, siquidem hæc fit de pluribus, illa autem de uno, ut fert textus: « unum gravem magistrum » et scribit Rebuffus in Tract. nominationum, quæst. I, n. 28, ibi: « Hodie quedam nominatio fit a rege Franciæ in prælaturis; » 2º electiones fuisse abolitas et principem nullo modo excogitari posse tanquam compromissarium designatum a Papa loco et nomine capitularium; 3º novam methodum introductam esse nominationem a principe faciendam, minus efficacem quam electionem; siquidem electus habet jus ad rem, ut aiunt, indigens tantum confirmatione, dum nominatus scrutinio subiectus remanet Papæ qui illum rejicere potest utpote non idoneum: ideo ex nominatione consequi tantum quoddam jus præparatorium ad beneficium, sicut accidit in presentatione a patrono facta, ut verbis utar Glossæ super pragmaticam in cap. de collationibus, apud Rebuffum, Tract. nominationum, quæst. IV, n. 2; 4º per concordatum anni 1801 majores facultates Principi non fuisse quam antea concessas, articulo IV decernente quod summus Pontifex institutionem canonicam dabit « juxta formas relate ad Gallias ante regiminis commutationem statutas; » verba quæ libertatem Pontificis omnino præservant. Cf. Adnotationem proxime sequentem.

ADNOTATIO XXXI.

Lib. I, Tit. VI, § II, n. 28; pag. 320.

UTRUM PONTIFEX TENEATUR INSTITUTIONEM CONFERRE CANONICAM CUILIBET A PRINCIPE NOMINATO?

Respondendum negative. Si Pontifex electum confirmare non tenetur, a fortiori nominatum tanquam eligendum et instituendum admittere. Quoad Gallias, verba præmemorata concordati 1801 omnem ambiguitatem tollunt. Ante regiminis com-

mutationem, vigente scilicet concordato anni 1516, Pontifex quemlibet a rege nominatum, utpote non idoneum, rejicere poterat, et, ut ipsius conscientia informaretur, fiebat processus inquisitionis juxta regulas a concilio Tridentino, sess. XXIV de Reform., cap. I, et sess. XXII de Reform., cap. II, et a Summis Pontificibus Gregorio XIV et Urbano VIII præscriptas, quas videre est apud D. Bouix, Tract. de Episcopo; Parisiis, 1839, Lecoffre, tom. I. Hæc sunt formæ, quarum sub articulo IV concordati mentio facta est, et quæ etiamnum servantur. Porro hæc agendi ratio Pontificis, processum inquisitionis circa idoneitatem subjecti, mediante nuntio apostolico instituentis, supponit in ipso Pontifice jus repellendi nominatum, alioquin formæ istæ prorsus evaderent inanes et illusoriæ.

« Nec desunt exempla, scribit Riganus, Comment. in reg. Cancell. in reg. II, § I, similium rejectionum de personis nominatis a Pontificibus expletarum. Apud cardinalem Ossat plures extant epistolæ super rejecta nominatione Renati Benedicti ad episcopatum Trecentensem, quamvis esset Henrici IV confessarius. Alter, Ludovico XIII regnante, ad cathedralem ecclesiam nominatus, admissus non fuit. Et Petro de Marca doctissimo viro, ad archiepiscopatum Parisiensem nominato, dilata fuit expeditio bullarum, quousque in meliorem rectioremque sensum nonnullas propositiones, quæ in ejus tractatu de Concordia sacerdotii et imperii legebantur, corrigeret et emendaret. Et san. mem. Innocentius XI nominatos illos ad cathedrales, qui comitiis Parisiensibus interfuerant anno 1682, constanter admittere recusavit, et in eadem constantia perseveravit san. mem. Alexander VIII, necnon san. mem. Innocentius XII in principio sui pontificatus, donec tandem, cum rex christianissimus per suas litteras et ab eo nominati debitam Sedi apostolicæ præstitissent satisfactionem, rege etiam ipso enixe supplicante, ad Ecclesias promoti fuerunt, ut ex documentis apud vir clar. Bernin. in Histor. huiusmodi, tom. IV, in Innoc. XII. »

Nostris etiam recentioribus temporibus, dignoscuntur exempla similia. Anno 1829 Jacobus Rallion, qui, nominatus ad episcopatum Aurelianensem anno 1810, diocesis administrationem nomine capituli, invitis licet et reluctantibus sacris Ecclesiæ canonibus, susceperat et per aliquot annos retinebat, fuit iterum nominatus ad episcopatum Divionensem; et institutionem canonicam non consecutus esset, nisi scripto testimonium dedisset se prorsus tunc temporis ignorasse decretum concilii generalis Lugdunensis II, quo vetatur « ne quis ad Ecclesiam electus ipsius administrationem aut regimen ante confirmationem, sub œconomatus vel procuratoris nomine aut alio de novo quesito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se vel per alium, pro parte vel in toto, gerere, vel recipere, vel illi se immiscere præsumat. » Nuperrime R. D. Maret ad episcopatum Venetensem, et R. D. Mouniq ad episcopatum sancti Petri et Arcis Gallicæ in

insula Martínica nominati a Sancta Sede non admissi fuerunt.

Attamen « si rex dignum nominat, inquit Riganus loco citato, non potest salva justitia Pontifex nominationem non admittere. Sot. ad regul. XL Cancell. n. 12; Rebuff. ad Concordata Gall. pag. mihi 85; Salzed. Paleott. et alii quos refert Franciscus Ramos del Manzano in Supplic. libell. ad Alexandrum VII, propos. I, pag. mihi 30, n. 19; Frass. de Reg. patr. cap. vi, n. 33. Habere enim concordata vim contractus, ex eorum verbis et diplomate Leonis X, probat Natal. Alex. sæc. XV et XVI, part. ultima dissert. XI, art. 6; quorum vel unum caput violare, nec Pontifici, nec regi est integrum, Matt. De caus. consistor., sect. XVIII per totum, plene Rot. In Seguntina archidiaconatus, 4 februar. 1729, § Explorato, et § Corruente et seqq. coram reverendissimo Aldrovando.

» Addit Thomassin, tom. II, lib. I, cap. 48, n. 7. Hæc autem, ex Rebuff., in tract. de Regia ad prælatur. nominat., quod si Pontifex semel admittat eum qui a rege nominatus fuit, non possit amplius rex resilire, aut alium nominare, sicuti et contigisse ait Rebuff. ut, præsentem se, judicaretur non potuisse Pontificem, post approbatum quem rex nominasset, retractare sententiam, et facit Calderin. consil. 5 De elect. Vidimus tamen quod, episcopatu Vicensi in Catalonia vacante, Philippus V Hispaniarum rex unum præsentaverat, isque anno 1708 fuerat in consistorio præconizatus; sed paulo post, recognite in regem catholicum etiam Carolo III, dictæ provincie possessore, fuit ad ejus presentationem de dicta Ecclesia provisus Emmanuel Sanjust y Pages, ut ex litteris apostolicis expeditis anno 1709, XI kalendas martii. » Hucusque Riganus.

ADNOTATIO XXXIII.

Lib. I, Tit. VI, § II, n. 54; pag. 325.

QUIBET ELECTUS, ET A FORTIORI NOMINATUS, NON POTEST ADMINISTRATIONEM ECCLESIE SUSCIPERE ANTE CONFIRMATIONEM VEL INSTITUTIONEM CANONICAM.

Hæc propositio militat contra auctorem nostrum qui tenet electos in concordia, constitutos extra Italiam nec Sedi apostolicæ immediate subjectos, posse immediate administrare, etiam ante obtentam confirmationem. Probatur ex constitutionibus Alexandri V et Julii II, ut expresse docet Giraldus Exposit. jur. pontif. juxta recentior. Eccl. disciplinam, part. I, sect. 47, ubi post citatum cap. Nihil est, 44, hoc titulo, sapienter addit: « Hæc decretali permittenti ut prælati electi in concordia, valde remoti, videlicet ultra Italiam constituti, administrare possint suas prælaturas, jurisdictionemque exercere ante confirmationem, derogatum est ab Alexandro V et Julio II statuentibus ut prælati de Ecclesiis sæcularibus vel regularibus pro-

visi, ut supra, sive in titulum sive in commendam, teneantur intra annum a die provisionis eis factæ in curia Romana litteras expedire facere, easque recipere; ante earum vero expeditionem non præsumant de regimine, seu administratione Ecclesiarum illarum, bonorumve, tam in spiritualibus quam in temporalibus, se ingerere, sub pœna privationis Ecclesiarum seu monasteriorum, et omnis juris quæsi ex dicta provisione pontificia ipso facto incurrenda; et alias omnia acta per eos tam scienter quam ignoranter facta, irrita decernuntur, ut videre est in dicti Julii cons. *It. Romani Pontificis*, 21 iul. 1505. » Unde sic argumentari datur: Si prælati provisi etiam a Pontifice suscipere administrationem ante litterarum expeditionem et receptionem nequeunt, a fortiori simpliciter electi, vel nominati.

Quoad nominatos videre est responsa Sedis apostolicæ pluries, et in specie anno 1810 pro Galliis, data, in quibus allegantur constitutiones præfatæ Alexandri V et Julii II et aliarum. Cf. *Des chapitres cathédraux en France*, etc., cap. xxxiii et ad calcem ejusdem libri, documenta n. III. Merito decrevit concilium Tolosanum, anno 1850 habitum, vicariorum capitularium potestatem durare « usque dum episcopus electus et canonice institutus litteras suæ institutionis exhibuerit capitulo, et sic possessionem adeptus fuerit. » (Tit. I, cap. v.)

ADNOTATIO XXXIII.

Lib. I. Tit. VI, § V, n. 133; pag. 340.

DE COLLATIONE NUMERI AD NUMERUM, ZELI AD ZELUM, MERITI AD MERITUM, IN ELECTIONE.

« In decretali *Quia propter*, 42, de *Elect.* dicit Giraldu, *Expositio jur. Pontificii*, part. I, sect. 46, statuitur ut is, scrutinio publicato, censeatur electus, in quem omnes vel major et sanior pars capituli consentit. Hinc inferunt canonistæ ut, nedum numeri ad numerum, sed etiam zeli ad zelum ac meriti ad meritum, fieri debeat collatio.

» Verum, quidquid sit de necessitate hujusmodi collationis, inspecto jure communi, certum est hodie hanc collationem esse obsoletam, solamque collationem numeri ad numerum esse notam in omni electione. Quod jampridem in electione monialium servari præcepit Bonif. VIII in cap. XLIII, *Indemnitatibus*, § *Sane, de Elect.* in 6. Van-Espen, part. II, tit. XXI, cap. III, n. 33, et cap. IV, n. 23, cui consentit Matta, *de Causis consistorialibus*, sect. XIX, § III, n. 8, ibi: « Dictiones meriti ad meritum, » et zeli ad zelum adducuntur hodie in instrumentis electionum de stylo antiquo, quia revera nihil » inserviunt, cum cæteroquin ex supradictis, quantum ad hoc attinet, attendatur major pars suffragiorum et dignitas personæ electæ. » Et Ansald. in addit. ad dec. LII, n. 23, qui, cum in S. Consistor. congreg. consisteret, testatur nunquam ex hoc capite, omissæ scilicet collationis meriti ad meri-

tum et zeli ad zelum, electionem fuisse irritatam, ibi: « Observantia præbuit quod, posthabita collatione zeli ad zelum et meriti ad meritum, sufficiens fieri collationem numeri ad numerum dicendo: Talis habuit tot suffragia, talis tot, etc... » et de facto, me consistente in S. Cong. Consist. » nunquam fuit ex hoc capite electio irritata. »

ADNOTATIO XXXIV.

Lib. I. Tit. VI, § VI, n. 149; pag. 343.

DE ELECTIONE PAPÆ.

« In decretali *Licet*, statuitur ut Romanus Pontifex nisi a duabus partibus cardinalium electus, si major concordia non intercessit, nullatenus assumatur; et si nomen Pontificis usurpaverit, tam ipse quam qui eum recipiunt excommunicationi subjaceant, et totius sacri ordinis privatione mulcentur. Per hanc eandem decretalem receditur a forma substantiali aliarum electionum. Quæ autem Summorum Pontificum constitutiones eidem accesserint, ultro omitto, cum satis amplum tractatum ediderit Antonius Seraphinus Camarda, episcopus Reatinus, an 1732. » (Giraldu, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 38.)

Cf. *Ceremoniale continens ritus electionis Romani Pontificis*, Gregorii PP. XV iussu editum, cui præfiguntur constitutiones pontificiæ et conciliorum decreta ad eam rem pertinentia; Romæ, typis Rev. cam. Apostolicæ 1724. Cui solet adjungi: *Compendio delle cose principali contenute nel ceremoniale di Gregorio XV, de electione Romani Pontificis, per facilitare alli signori cardinali il nuovo modo di elegere il Papa, e per istruttione delli maestri di cerimonia.* Ad calcem hujus compendii reperiuntur constitutio *Apostolatus officium*, a Clemente XII quarto nonas octobris 1732 data, diversas continens ordinationes pro bona directione conclavis ac rerum, Sede apostolica vacante, agendarum; et ejusdem Pontificis *Chirografo che contiene diversi ordini e riforme, che riguardano il conclave, ed il tempo della Sede vacante*, diei 24 decembris 1732. — *Revue des sciences ecclésiastiques*, tom. IX.

ADNOTATIO XXXIV bis.

Lib. I. Tit. VI, § VIII, n. 196; pag. 352.

DE SUFFRAGIIS AB ABSENTIBUS MISSIS IN ELECTIONIBUS REGULARIUM.

« Permittitur in decretali, *Quia propter*, deputari posse ab absente et juste impedito, ad interessendum electioni, procuratorem, ex gremio tamen eligentium, qui loco sui suffragium ferat... Verum et huic indulto derogatum est, quoad electionem regularium, tum a Cong. conc. in una *Bulgarie* 3 decembris 1644: « S. Cong. censuit ne deinceps » titulares constituantur ad effectum electionis faciendæ, aut voces et suffragia absentium sup-

fex etiam prohibet amplius in controversiam revocari. » (Id. ibid. sect. 58.)

ADNOTATIO XXXVI.

Lib. I. Tit. VI, § XIII, n. 322; pag. 375.

DE ELECTIONE ET INSTITUTIONE EPISCOPORUM.

Nec tantum quoad partes Germaniæ, ut scribit auctor noster, hodie confirmatio episcoporum indistincte summo Pontifici reservatur, sed insuper quoad omnes partes catholici orbis, ut probatur ex regula I Cancellariæ; et non solum confirmatio, sed et electio, si excipias quasdam Ecclesias numero paucissimas. « Per quam reservationem, inquit Giraldu, fit redditus ad jus antiquum; provisio siquidem episcopatum ad eundem solum Pontificem olim pertinebat; ita Glossa communiter laudata in cap. *Quoniam, de Elect.*, in 6, verb. *Devolvitur*, ibi: « Ut hujus juris originem scias, veritatem scire » debes scilicet, de antiquo jure et dispositione Ecclesiæ, potestatem conferendi episcopatus ad Papam pertinere. » Hos hodie Pontifex providet in consistorio; quæ provisio juxta l'agnanum, in cap. *Nullus, de Translat. episcopi*, n. 8, habet vim electionis et confirmationis, ejusque praxis et formula per extensum refertur a Lucio Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, verb. *Episcopus*, art. II. (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 67.) Cf. *Tradition de l'Eglise sur l'institution des évêques*, par l'auteur de l'Essai sur l'indifférence, Parisiis, 1818, Beaucé-Rusand, 3 vol. in-8°.

ADNOTATIO XXXVI bis.

Lib. I. Tit. VI, § XIV, n. 333; pag. 377.

DE SECRETO SERVANDO IN ELECTIONIBUS REGULARIUM.

« Circa secretum servandum, de nunquam scilicet publicando nomina eligentium, sub pœna nullitatis electionis, cum indistincte impositum sit a Trident. ut nunquam id fiat, adstringuntur ad illud servandum tam scrutatores quam eligentes, nedum in actu electionis, sed etiam post illius publicationem, cum ad finem hujus præcepti intersit ne publicentur nomina eligentium, etiam post, propter easdem discordias et alia incommoda quæ oriri possent: a qua publicatione sub mortali cavere debent, ut censeo, regulares.

» Addit autem Wagnerek certum videri *Inst. can., Tit. de Elect.* § IV. hoc decretum (Trident., sess. xxv, de *Regular.* cap. 6) solum procedere de electionibus superiorum regularium, neque extendi debere hanc secreti rigorem de nunquam publicando, et adjunctam pœnam irritationis, ad electionem prælatorum sæcularium, per regulam juris in 6: « Odiā restringi et favores convenit ampliari. » (Giraldu, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 46.)

» pleantur (*Lib. XII Decretor.* pag. 149); » tum ab Innocentio XII, const. *Christi fidelium*, 16 febr. 1694 § 12, ibi: « Nolumus tamen absentium vota » nec protectoris, nec cujuscumque alterius, nec » etiam ipsarum cardinalium congregationum auctoritate suppleri, seu alios vocales, eorundem » absentium loco, seu vice subrogari, deputari, » seu eligi, sed jus eligendi in solis juxta juris et » instituti regulas ad hunc effectum assumptis, et » in destinatis loco et tempore convenientibus, » consolidari, seu alias prout de jure, permanere » omnino volumus et mandamus. » (Giraldu, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 46.)

ADNOTATIO XXXV.

Lib. I. Tit. VI, § XIII, n. 317 et 318; pag. 374.

DE ELECTIONE REGULARIUM AD PRÆLATURAS.

« Cum autem, ex contrario sensu dictæ Bonifacianæ decretalis *Quorundam*, videatur mendicantes posse eligi sive postulari ad aliquam dignitatem extra suum ordinem, si electio, postulatio aut provisio fiat in concordia, hodie in hoc etiam casu id prohibitum est per Extravag. Joannis XXII *Calumniis*, quæ tamen in corpore juris canonici non reperitur, ut testatur Francus n. 2, allegans Lupum. An autem horum assertio de existentia dictæ Extravagantis satis sit ad abolendam hujusmodi electionem in concordia, petitio quidem principii est. » (Giraldu, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 57.)

« Hæc decretalis, *Si religiosus*, si sermo sit de episcopatu, locum habebat quando electio spectabat ad capitula cathedralium; hodie tamen cum spectet ad Sanctam Sedem, ut jam notavi ad cap. xxxii *Cum dilectus*, sect. 44, non requiritur amplius consensus superioris. Si vero sit sermo de alia prælatura monasterii diversi ordinis, nec id hodie permissum est, ut pariter notavi supra ad cap. XLIX, *Cum in magistrum*, sect. 48.

« Est hic notandum quod religiosi illorum ordinum qui in professione, præter solita tria solemnia vota, emittunt in manibus superioris regularis, tam ante quam post dictam professionem, votum sive solemnne sive simplex « de non procurando, » nec acceptando aliquam dignitatem, seu prælaturam, vel prælaturam extra religionem, nisi » coacti vel adstricti fuerint præcepto ejus qui sibi » jure præcipere potest sub pœna peccati, juxta » formam suarum constitutionum a Sede apostolica confirmatarum, » non possunt dispensationem dicti voti obtinere nisi a Romano Pontifice, quamvis translati fuerint ad alium ordinem, etiam mendicantium, in quo hujusmodi votum non emittitur; interdicta facultate, nedum generali et capitulo, sive congregatione generali, sed etiam cardinalibus protectoribus eorundem ordinum, nuntiis et legatis apostolicis, etiam de latere; ut ex clarissima declaratione Urbani VIII, const. *Honorum* sub die 24 februar. 1643 §§ 1 et 11, quam Pontifex

ADNOTATIO XXXVII.

Lib. I. Tit. VII, De Translatione episcopi, § II, n. 60; pag. 392.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI ET FRUCTIBUS INEXACTIS.

« Ut maturius et consultius in posterum fieret translatio episcopi ab una ad alteram Ecclesiam, a Clemente VIII statutum prius fuit translationis causas examinandas esse a Congregatione rerum consistorialium; deinde vero, ex constitutione Benedicti XIV, *Ad apostolicæ servitutis*, 17 octob. 1740, a congregatione peculiari ab eodem deputata super promovendis ad archiepiscopatus et episcopatus, ut in ejusdem constitutione, § V.

« Quod si quæras an translatus possit aliquid percipere defructibus pendentibus et inexactis, idem Benedictus, *de Syn. dioc.*, edit. an. 1733, lib. XIII, cap. XVI, n. 7, firmat eum percipere tantum posse usque ad illud temporis momentum quo absolutus fuit in consistorio a vinculo prioris Ecclesiæ, quos si perceperit post illud tempus, ad restitutionem tenebitur. Nec conferre poterit beneficia, quæ forte vacare contigerit post dictum tempus. Hæc tamen utraque prohibitio non habet locum, quando episcopus transfertur sine sua scientia et consensu, quia solum obstringitur quando, post sibi nuntiatam vinculi enodationem, suum accommodaverit consensum, vel hunc Papa suppleverit volueritque ut translatio sortiatur effectum, ut probat idem Benedictus, loco cit., n. 13. Respectu episcoporum regni Poloniæ, in casu translationis, aliter provisum est ex decreto ejusdem Benedicti, ibid. relato n. 17. » (Giraldi, *Expositio juris*, etc., part. I, sect. 68.)

Notandum quod solutio questionis de fructibus pendentibus et inexactis, cum proportione debita aliis beneficiariis, præsertim parochis, translati applicari debet.

ADNOTATIO XXXVIII.

Lib. I. Tit. VIII, De auctoritate ac usu Pallii, n. 21; pag. 395.

DE PALLIO.

« Non obstante Innocentii III contraria sanctione, hodie, ex indulgentia SS. Pontificum, appellantur nomine patriarchæ et archiepiscopi patriarcha Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus, ac archiepiscopi in partibus, licet pallii honore non fruantur, quippe quia extra provinciam suam commorantur, et cæteroquin pallii usus propriæ cuiusque provincie finibus circumscribitur.

« Nota I ex eadem indulgentia honorem pallii concedi etiam episcopis, licet archiepiscopali jure non potiantur. Exempla concessionis refert Bened. XIV, lib. II, cap. vi, et alibi, *de Syn. diocesana*. »
« Eo etiam decoratur cardinalis pro tempore

decanus, episcopus Ostiensis, quo tamen uti dumtaxat potest in consecratione novi Pontificis, si hic antea episcopus inunctus non fuerit. Qua insigni prerogativa donatus jam fuit a S. Marco Papa, ut notat laudat. Bened. XIV, cit. tractatu, lib. XIII, cap. xv, n. 7.

« Nota II, cum erudito scriptore Petit, in *Adnotat.* ad Pœnitentiale Theodori, quod antiquioribus temporibus honor pallii non concedebatur nisi iis qui Romam venissent, illudque per se a summo Pontifice petissent; pluribus tamen abhinc sæculis, consuevit Apostolica hæc Sedes pallii honorem, etiam per procuratorem petentibus concedere, sublata quoque consuetudine, sequentibus temporibus introducta, legatum mittendi, quoties absenti petentique pallium elargiebatur. » (Giraldi, *Expositio juris*, part. I, sect. 69.)

ADNOTATIO XXXIX.

Lib. I. Tit. IX, De renuntiatione, § I, n. 5; pag. 396.

DE RENUNTIATIONE IN MANIBUS PRINCIPIS SECULARIS.

Anno 1828, minister regius negotiis ecclesiasticis in Gallia prepositus contendebat renuntiationem episcopi, sedem suam resignantis, in manibus regis primum esse deponendam et a rege accipiendam, atque summum Pontificem renuntiationem in suis manibus factam accipere non posse, quin prius constet de consensu regis. Hæc sunt autem verba præfati ministri :

« En France, deux pouvoirs concourent à placer un évêque à la tête d'un diocèse : le roi, qui le nomme; le Pape, qui l'institue. Deux pouvoirs doivent donc concourir pour rompre le lien qui l'attache à son Eglise : le roi, qui agré la démission; et le Pape, qui l'accepte. Aussi, est-ce parmi nous une règle constante et sans exception que les titulaires de bénéfices à la nomination du roi ne peuvent se démettre qu'entre les mains du roi lui-même, ou du moins de son consentement. Un arrêt du Conseil, du 13 mai 1670, l'a déclaré en termes exprès, et c'est le consentement unanime de tous nos canonistes... Une démission, qui serait donnée immédiatement, et directement au Souverain Pontife par un évêque, ne pourrait être acceptée, si Sa Sainteté n'avait été informée officiellement que cette démission a été préalablement acceptée ou consentie par le monarque. En un mot, il n'arrive à Rome aucune pièce officielle relative aux sièges épiscopaux du royaume, et d'après laquelle le Saint-Siège puisse prendre une décision, à moins que cette pièce ne porte la marque et l'attache du gouvernement; sans cela, tout ce que pourraient faire les évêques serait insuffisant, complètement nul et de nul effet... » (Prompsault, *Dictionn. de droit et de jurisprudence en matière civile ecclésiastique*, Migne, 1849; tom. II, col. 52 et 53.

Merito respondet D. Prompsault, loco citato :
« Prétendre que le Saint Siège ne peut accepter une démission qui lui est immédiatement envoyée, et qu'il doit attendre que le roi lui notifie l'acceptation qu'il en a déjà faite, c'est confondre toutes les idées de droit ecclésiastique. Loin de soutenir une pareille doctrine, les canonistes enseignaient que les démissions faites entre les mains du Pape étaient admises, comme les résignations, du jour du premier *consens*, et que celle faite entre les mains du roi n'était valable que lorsqu'elle avait été admise par le Pape. C'était au moins plus raisonnable.

« J'estime, dit du Perray, que la démission doit être faite entre les mains des ordinaires (*Moy. can.*, tom. III, ch. iv, n. 9). C'est aussi l'avis de Deroye, Rebuffe et plusieurs autres canonistes, qui tiennent pour nulle et non avenue une démission faite entre les mains d'un patron, si elle n'a pas été acceptée par l'ordinaire. Le Parlement de Paris jugea en ce sens, par arrêt du 28 mars 1765. Un arrêt du Conseil, en date du 26 avril 1637, défend aux chapitres cathédraux de troubler, dans l'administration de leur diocèse, les évêques résignataires, avant que leur résignation ait été admise par le Pape, et aux cours de Parlement de donner des arrêts contraires. »

Ratiocinabatur præfatus minister quasi jus nominandi ad sedes episcopales esset proprium et nativum principis, dum contra jus illud oritur tantummodo ex concessionem Papæ in concordatis scripta; prout ipsemet fatetur Fleury : « La nomination du roi, inquit ille, n'a d'autre fondement légitime que la concession du Pape, autorisée du consentement tacite de toute l'Eglise. » (Clausel de Montals, *Le Concordat justifié*, Paris, 1818, Egron; 2^e édit., p. 65.)

ADNOTATIO XL.

Lib. I. Tit. IX, § I, n. 33; pag. 401.

DE RENUNTIATIONE A CLERICO RELIGIONEM INGRESSO FACTA.

« Sanctus Pius V, const. *Quanta*, prohibuit episcopis beneficia sic resignata conferre ante secutam professionem.

« Questionis est utrum hæc, quæ a Tridentino requiritur, licentia Episcopi vel vicarii generalis ad validitatem hujus, de qua disseritur, renuntiationis, pertineat ad extrinsecam solemnitatem, an sit forma ejusdem? Quidquid nonnulli DD. senserint, ea Rota insedit sententia quod forma sit, ut ex decisionibus in *Romana seu Januæ successionis*, 9 dec. 1746, § VIII, coram clar. mem. Millin, et 26 junii 1747, § VII et seq. coram bon. mem. Gertad.

« Utilitas autem hujus observationis est quod, si de hac licentia nequitiam constet, ea præsumi

nequeat ex observantia licet triginta annorum renuntiationis, ut respondit idem tribunal in dicta *Romana seu Januæ successionis*, 9 dec. 1746, § VII, et plur. seq., et 26 junii 1747, § VI, et plur. seq. ubi DD. contrarii refutantur. » (Giraldi, *Expositio jur. pontificii*, part. I, sect. 71.)

ADNOTATIO XLI.

Lib. I. Tit. IX, § VI, n. 135; pag. 419

DE CONSTITUTIONE GREGORII XIII CIRCA RESIGNATIONES.

« Gregorii constitutio confirmata fuit a Benedicto XIV, const. *Ecclesiastica*, 15 junii 1746, in qua insuper inhibetur notario Datarie ne recipiat consensus super quibuslibet resignationibus favore quorumcumque, etiam S. R. E. cardinalium, factis. quoties mandatum procuræ habeat datam anteriorem octo mensium quoad resignantes citra montes, vel duodecim quoad degentes ultra montes. Item præcipitur supplicationem super admissione cujuscunque resignationis signari intra duos menses a data rescripti; ita ut intra sex menses a data concessionis, quoad beneficia citra montes, et intra novem quoad existentia ultra montes eorumdem possessio cum effectu capiatur, et gratiæ resignationum cum litteris apostolicis publicentur ad formam constit. Gregorii XIII, *Humane*. Inhibetur concessio prerogationis, etiam pro prima vice, ad dictam publicationem faciendam, nisi prius docto de litteris expeditis in officio subdatarii, private quoad alios officiales : sicuti et ulterius prerogationis post primam et secundam, nisi justificatum fuerit coram Datario impedimentum non factæ publicationis, a quo tot prerogationes concedi poterunt quot necessariae erunt, usque ad remotionem impedimenti : sub poena, his omnibus non servatis, nullitatis resignationum, et inhabilitatis ad beneficia aliter resignata obtinenda.

« Si resignatio in favorem acceptata non fuerit resignatario, resignantem nec titulum, nec possessionem amittere; et quidem etiam si supplicatio resignationis fuerit signata, imo data, communi Doctorum ac tribunalium calculo receptum semper fuit, novissime vero fuit dubitatum an a modo laud. const. Benedictina contrarium fuerit statutum. At negativam amplexum est sententiam auditorium Romanum, ut ex decisionibus in *Monasterien. canonicatus*, 17 febr. 1766, coram R. P. D. Cornelio, et 27 jun. 1766 et 12 januar. 1767, coram R. P. D. de Comitibus, et 26 jun. 1767, coram R. P. D. Azpuru. » (Giraldus, *Expos. juris*, part. I, sect. 72.)

ADNOTATIO XLII.

Lib. I. Tit. IX, § VI, n. 163; pag. 424.

DE RESIGNATIONIBUS IN FAVOREM ATTENTIS GALLIÆ CONCORDATIS.

DD. André, *Cours alphabétique de droit canon*, tertia edit., v^o *Résignation*, tom. VI, p. 68 sic lo-